


• 1883 d.

DE
C O R N E L I A E
P. F. GRACCHORUM MATRIS
VITA MORIBUS ET EPISTOLIS
COMMENTATIO.

SCRIPSIT
ET
AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERAR. DORPATENSI

GRADUS
DOCTORIS PHILOSOPHIAE

RITE OBTINENDI CAUSA
PUBLICÉ DEFENDET
LUDOVICUS MERCKLIN.
PHILOSOPHIAE MAGISTER, IN UNIV. LIT. DORP. PHILOLOGIAM
PRIVATIM DOCENS.



DORPATI, MDCCCXLIV.
TYPIS HENRICI LAAKMANNI.

2633.80

IMPRIMATUR

ea conditione, ut numerus exemplorum lege praescriptus
collegio ad libros explorandos constituto, tradatur.

Dorpatti, die 14. mens. Septembris. 1844.

Dr. FR. GOEBEL,
Decanus.

127604846

Feminarum memoriam, meritis plerumque brevior-
rem, quo rarius fama literisque celebratam accipi-
mus, eo videntur esse digniores, in quarum vitas
mentesque cognoscendas operam nostram confera-
mus. Nam huic sexui concessam olim aequalem
mediocritatem ab illis superari par erat, quibus ex
vitae domesticae oblivione emersis, aeternam no-
minis gloriam captare contigerit. Sed quum et
naturae ratio et leges antiquitatis a republica ca-
pessenda mulieres arcerent, vix impune illis lineas
transilire licuit, quin aut morum aliquam labem
contraherent, aut famae saltem iniquitatem experi-
rentur. Quod si in universum quidem constat,
tamen quantopere a Graeca consuetudine Romano-
rum disciplina differat, quum aliunde, tum vel eo
perspici potest, quod horum feminas matronali
decore et verecundia insignitas, illorum plurimas
amoribus et carminibus inclytas historiae monumenta
produnt. Nempe apud utramque gentem muliebris
sexus, suo circulo relieto, virorum mores sectaba-
tur, unde apud Romanas viragines frustra quaesi-
veris illam Graecis insitam levitatem, quam tamen
ob eandem causam Spartanae mulieres et Py-
thagoreae videntur respuisse. Eandem morum
indolem, non unis viris propriam, contesta-
tur non solum mulierum in Graecia poetiarum

et philosophantim recensus, quum vix unius alteriusve Romanae litteratae ad nos nomen incerta fama detulerit, sed ab ea ingenii felicitate Graecae quoque multo pauciores quam Romanae ad atrocia flagitia delapsae videntur. In qua comparatione instituenda dolendum est, Aelianum var. h. XIV, 45, Graecas mulieres cum Romanis componentem intra trium clarissimarum nomina constatissime, scilicet quod ipsi verendum esset, ne, pluribus Romanis quam Graecis laudatis, gratificari videretur patriae. Idem vero Penelopes exemplo haud inepte contra posito, Corneliae, cui hunc libellum destinavimus, principem locum designavit. Cujus vita moresque, quum et antiquos laudatores habeant, neque tamen ab omni parte vituperatione vacent reliquiae vero, quae feruntur, ancipiti semper fama propagatae sint, consentaneum erit, in illis adumbrandis ita versari, ut de his judicandi potestas adjuvetur.

Originem Cornelia duxit a clarissimis gentibus, patre nata P. Cornelio Scipione Africano majore (Plut. Ti. Gracch. 1), matre Tertia Aemilia, L. Aemilii Pauli apud Cannas occisi filia (Plut. Aem. Paul. 2.). Fuit autem Cornelia horum filia natu minor, nam majorem legimus a patre collocatam P. Cornelio Nasicae. Liv. 38, 57, 2. Quo anno nata sit, nemo veterum memoriae prodidit, sed jam tenera aetate videtur patre orbata esse, qui, si plurimis probatam sententiam sequare, mortuus est a. u. 569—185 a. Chr. n. (Fischer. Roem. Zeittafeln. p. 106.) Dintius matrem illi superstitem habuit, quam multae comitatis et patientiae fuisse Val. Max. VI, 7, 1. refert. cf. Polyb. 32,

12. Huic plurimum in formandis filiae moribus momenti tribuendum erit, quanquam de muliebris sexus institutione tunc temporis Romae usitata parum constat. (v. Pauly. Realencycl. S. V. Education.) Sed ubi matrimonium Corneliae cum Ti. Sempronio Graccho initum respicimus, maximae difficultates implicant, quippe quod conjunctum sit cum causa illa Scipionum, de qua jam inter antiquos opinionum diversitas obtinuit. Qua de re hoc loco prolixius disseri nequit, sed tantum temporis ratio enucleanda est. Succurrit gravissimum Polybii (32, 43) testimonium, tunc Romae degentis, et ob amicitiam Scipionis Aemiliani harum quoque rerum periti. Μετὰ δὲ ταῦτα ταῖς Σκιπίωνος μὲν τοῦ μεγάλου θυγατρόσιν, ἀδελφαῖς δὲ τοῦ καὶ τέσσιν πατρὸς *, λαρῶντος, αὐτὸν ἔδει τὴν ἡμίσειαν ἀποδοῦναι τῆς φέρνης. Οὐ γὰρ πατὴρ συνεθέτο μὲν ἐκατέρᾳ τῶν θυγατρών ν' τάλαντα δώσειν. Τούτων δὲ τὸ μὲν ὥμισυ παραχρῆμα τοῖς ἀνδράσιν ἔδωκεν ἡ μήτηρ, τὸ δ' ὥμισυ κατέλειπεν ἀποθηκονσα προσοφειλόμενον. A quo non dissidet Plutarchus Ti. Gr. 4. qui relata narratiuncula de Appio Claudio, proponenti filiae nuptias Tiberio Graccho, et Antistitia uxore rem invite probante, pergit: Οὐδὲ ἀγνοῶ δ', ὅτι τοῦτο τινες ἐπὶ τὸν πατέρα τῶν Γράχων, Τιβέριον, καὶ Σκιπίωνα τὸν Ἀγρικανὸν ἀναρέφοντιν· ἀλλ᾽ οἱ πλεῖονς, ὡς ἡμεῖς γράφομεν, ἰστροῦσι, καὶ Πολέμιος μετὰ τὴν Σκιπίωνος Ἀγρικανοῦ τελευτὴν τοὺς οἰκείους φησὶν ἐκ πάντων προκρίγαντας τὸν Τιβέριον, δοῦναι τὴν Κορηνηλαν, ὡς ὑπὸ τοῦ πατρὸς ἀνέχοτον καὶ ἀγέγγονον ἀπολειφθεῖσαν. Nam Polybius nequaquam dicit, quod ad h. l. Valesius autumavit, patrem utramque filiam despondisse, sed promisisse tantum dotem, neque opus erat, ut

ad illud confugeret, quo Plutarchum cum Polybio eomponeret, utrumque verum esse, et a patre desponsam Tiberio Corneliam esse, et post obitum patris rursus eidem desponsam de novo, quasi antea despensa non fuisse, vel potius ratam esse habitam patris sponsonem. — Promissio autem dotis haud dubie per testamentum facta, est potius indicium mortis imminentis. cf. Hasse Güterrecht d. Ehegatten. T. I. p. 319. Neque coemptionem matrimonii causa factam esse (Göttling. p. 92) statuere licebit reputanti, similitatem inter P. Scipionem et Ti. Gracchum usque ad mortem fuisse. Liv. 38, 57, 4. Gell. VII, 19. Idem quum die dicta, ad quam non affuerat reus, absens citatus, voluntarium sibi exilium indicaret, atque vitam ageret Literni sine desiderio urbis, quomodo despontdae filiae occasio illa a Livio prodita existere potuit? Rem conficit Plutarchus Ti. Gr. I. sibi atque Polybio constans: Λιὸν καὶ τὴν Σκυπίωνος τὸν καταπολεμήσαντος Ἀρριβαν ἔνγατέρα Κορνηλίαν, οὐκ ὁν γίλος, ἀλλὰ καὶ διάφορος τῷ ἀνδρὶ γεγονὼς, λαβεῖν ἡξιώθη μετὰ τὴν ἐκείνου τελευτῆν. Gellius 12, 8. eadem fere quae Livius tradit, ita tamen ut non cohaereant cum intercessione Gracchi et causa Scipionis, nam quo loco de his refert, 4, 8. nulla Corneliae mentio, cf. Heerwagen. de P. et L. Scipionum accusatione quaestio. Baruthi. 1836. Liebaldt de Val. Ant. Numbg. 1840. p. 16. His praemissis de anno, quo nuptiae factae sint, querere attinet, qui propter excerptorum Polybianorum conditionem non cum summa quidem fide, sed tamen probabiliter constitui potest. Polybius enim, postquam 32, 13 de Corneliae nuptiis retulit, quum scribat 14. de Scipione Aemiliano: μετὰ δὲ την δύο

μεταλλάξαντος τοῦ κατὰ φύσιν πατρός αὐτοῦ Λευκίου, cuius mors incidit in a. u. 594=160 (Fischer. p. 119.), illa dotis numeratio statim post matris mortem faeta, pertinebit ad a. u. 592 aut 591, quoniam non liquet, utrum illud biennii spatium a morte matris an a numeratione dotis incipiat. Polyb. I. I. Τοῦ δὲ Τιβερίου καὶ τοῦ Νασικᾶ Σκυπίωνος, οὗτοι γάρ ἡσαν ἄνδρες τῶν προειδημένων γναικῶν, ἅμα τῷ διελθεῖν τοὺς δέκα μῆνας κ. τ. λ. Neque tamen ob hanc ambiguitatem omnem hujus computationis rationem abjecere oportet, quae quidem confirmatur verbis Polybii praecedentibus 11. Πλὴν δύε Σκυπίων — ἐν ἴσως πέντε τοῖς πρώτοις ἔτεσι πάνδημον ἐποιήσατο τὴν ἐπ' εὐταξίᾳ καὶ σωρόσύνῃ δόξαν. Quod quinquennium, additum anno, quo cum Polybio Scipio Aemilianus familiaritatem contraxit, i. e. a. n. 587=167 (Fischer. p. 143) eandem temporis notam exhibet. Mater autem Corneliae paulo post nuptias factas diem obiisse videtur. Matrimonium igitur cum Ti. Graccho initum fuerit aut a. u. 591 aut 590. Itaque inter has nuptias et patris obitum, qui aut a. u. 571, aut 570, aut 569 adscrribitur, viginti minimum anni intermedii sunt, unde parum verisimile est Corneliam a patre desponsam esse, licet virgines Romanae a. aetatis 12. nubiles essent. Goettl. p. 92. Quaecunque igitur de patre sponsalium auctore circumferuntur, non solum propter Polybii et Plutarchi consensum, sed vel temporis ratione habita fabularum numero addenda sunt. Sed verissime Nitzschius (Polybius. p. 130) matrimonii causam ex partium studio repetit, Gracchorum potentem domum sibi conciliandi cf. p. 71. Quam diuturnum matrimonium fuerit tantum ex Corneliae duodecim-

partibus conjicere licet, quum dies supremus mariti ignotus sit, decorum fuisse insigni fide et pietate probat causa mortis Ti. Gracchi, brevissime ab Aur. Vict. de vv. ill. c. 57. relata: „Quum in domo Tiberii duo angues e geniali toro repsisserent, responso dato, eum de dominis peritum, cuius sexus anguis fuisse occisus, amore Corneliae conjugis marem jussit interfici.“ Plin. n. h. VII, 36, 122 Gracchum dixisse refert: „immo vero, meum necate, Cornelia enim juvenis est et adhuc parere potest. — Hoc erat uxori parcere et consulere reipublicae. Idque mox consecutum est.“ Plut. Ti. Gr. I. — ἐτὶ νέας οὐσῆς ἐξείνης. (cf. Val. Max. IV, 6, 1. Cic. de div. I, 18, 55. II, 29, 62. qui eandem rem ex scripto C. Gracchi ad M. Pomponium tradit.) Unde suspicere, Corneliam gravidam relictam esse. De serpente genii simulacro in Scipionum familia obvio cf. Hartung. Rel. d. Roem. T. I. p. 40. Ti. autem Gracchus, cuius post a. u. 591, quo alterum gessit consulatum, nulla publica memoria extat, videtur post initum matrimonium a foro bellisque abstinuisse, ejusdem vero et matrimonii finis paulo propius annis natibus liberorum circumscribitur, quorum duo saltem probabiliter erui possunt. Plutarchus C. Gr. I de Gaio Graccho scribit: ἐννέα γὰρ ἐνιαυτοῖς ἐλείπετο τὰ δελφοῦ καθ' ἡλικιαν ἐξεῖνος δ' οὐπω τριάζοντα γεγονὼς ἀπέθανεν et v. Ti. Gr. 4 ην δὲ πρεσβύτερος ἐνιαυτοῖς ἐννέα δ' Τιβέριος. Tiberius a. u. 621—133 occisus est, natum igitur constat 592 aut 591, Gaium fratrem, annis novem minorem 601. aut 600. Neque probanda Ellendtii conjectura (Proleg. Brut. p. XXXVIII), propter quaesturam Hispaniensem Tiberii annum natalem 588 aut 590 constituentis,

neque Westermannii (Gesch. d. roem. Ber. p. 71.) 585 praferentis, si quidem suo anno illo munere functus sit, postquam Wexius (de legibus annalibus Rom. in mus. Rhen. III, 2. p. 282) docuit, exempla, quae legi Villiae (a. u. 574) obstare videantur, legitimis exceptionibus niti. Qualis et Ti. Gracchus, qui primus in Carthaginis muros escenderat, dari potuit, in quo fortasse et alia causa valuit, quam ex temporum ratione repetitam indicat Nitzsch. p. 35. 125. Legitimum autem ad quaesturam capessendam militiae decennium Ti. Gracchus impleverat, tot enim anni numerantur inter prima stipendia, quae Scipione Aemiliano duce a. u. 607 meruit (Plut. v. Ti. Gr. 4.) et foedus Numantinum, a. u. 617., quod illo quaestore Mancinus pepigit. cf. Wex. l. l. p. 279. Heusde de Lucil. p. 11. sq. Fischer. p. 136. Unde apparet, Ti. Gracchum patrem aliquamdiu post a. u. 600 obiisse, si quidem Tiberius duodecim liberorum fuit maximus natu. Cornelia vidua mansit, repudiata, quam Ptolemaeus Aegyptiorum rex obtulerat, diadematis torique communione. Plut. v. Ti. G. I. Eum Kaltwasser. (Uebers. d. Plut. T. VIII. p. 120) et Reissius (Gesch. d. roem. Bürgerur. T. I. p. 18.) Philometorem fuisse censem, qui vulgo dictus sit Lathyrus, cuius vita et regnum ad a. u. 608—146 pertinent. Duxerat autem in matrimonium a. u. 589—165 Cleopatram sororem, Ptolemaei Epiphanius filiam, eamque cum prole moriens reliquit. cf. Letronne Recueil des Inscr. T. I. p. 79. Unde primum nulla ei causa alterius matrimonii jungendi existere potuit, deinde, quum non constet, utrum a. 608. Ti. Gracchus decesserit, an postea, Cornelia fortasse nondum vidua erat. Itaque ad fra-

trem ejus et successorem Ptolemaeum Euergetem II demittimur, qui usque ad a. u. 636—117 vixit, neque tamen semper Aegypti regnum tenuit. Hunc vero Corneliae matrimonium expetivisse eo majorem habet speciem veri, quod ipse jam ante Philometoris mortem bis Romae fuerat. Polyb. 31, 18. 33, 5. Champollion annales des Lagides. T. 2. p. 149. 154. Flathe Gesch. v. Maced. T. 2. p. 591. sq. Idem postquam regnum adeptus erat et in matrimonium duxerat Cleopatram, fratri defuncti uxorem, eam brevi repudiavit a. u. 609—145 neque ita diu post filiam ejus Cleopatram uxorem adscivit ante a. u. 614—140 (Letronne. p. 54. sq.) Hoc intermedio tempore Corneliam in matrimonium poposcisse credendus erit. Inde simul cum aliqua probabilitate tempus indicatur, quo Ti. Gracchus pater inter vivos esse desierit.

Corneliam cum duodecim liberis Gracchus reliquit, (Plut. v. Ti. G. 1.) quorum sex filii, totidem filiae erant. Plin. n. h. VII, 13, 57. „Item alii aliaeque feminas tantum generant aut mares, plerumque et alternant, sicut Gracchorum mater duodecies.“ Novem immatura mors praeripuisse videtur, quum nulla eorum memoria redundet. Plut. Ti. Gr. 1. *Kai χηρεύονσα τοὺς μὲν ἄλλους ἀπέβαλε παιᾶς.* Seneca cons. ad Helv. 16. oratione potius quam accurate scribit: „Corneliam ex duodecim liberis ad duos fortuna redegerat. Si numerare funera Corneliae velles, amiserat decem, si aestimare, amiserat Gracchos.“ Id. ad Marc. 16. „Ex una tibi familia duas Cornelias dabo. Primam Scipionis filiam, Gracchorum matrem, duodecim illa partus totidem funeribus recognovit, et de ceteris facile est, quos nec editos, nec amissos civi-

tas sensit.“ cf. Gerlach. Hist. Stud. p. 245. ann. In quibus pariter ab historicā fide declinavit. Nam tres liberos Corneliae fortuna reseruavit, Tiberium Gaiumque Gracchos et Semproniam, quam in matrimonium collocavit Scipioni Aemiliano, tempore, quo, ut recte scribit Reiffius (l. l. p. 18) duo illi fratres nouidum adulti erant. Ita enim statuere jubemur verbis Plut. Ti. G. 8. *Ἐνιοὶ δὲ καὶ Κορνηλίαν συντελεῖσθαι τὴν μητέρα πολλάκις τοὺς διοὺς διειδίζονσαν, ὅτι Ρωμαῖοι Σκιπίωνος αὐτὴν ἔτι πενθέραν οὖπω δὲ μητέρα Γράχην προσαγορεύοντες,* unde liquet Semproniam Aemiliano nupsisse ante latam legem agrariam Tiberii, i. e. ante a. u. 621. Ex iis autem, quae Val. M. III, 8, 6. refert, colligitur, eam tribunatu L. Apuleji Saturnini, i. e. sexto Marii consulatu, a. u. 653. etiamtum vixisse. Sic geminata affinitate Cornelia Semproniaque gentes junctae, sed parum laeto successu, videtur enim odii, quod patres conceperant, semper aliquid in posterorum animis resedisse. Corneliam, librorum amantissimam, his optime educandis insignem operam navasse, nisi totius antiquitatis consensu constaret (Pl. Ti. Gr. 1. Cic. Brut. 27. 58. Dial. de or. 28.), vel illud efficeret, quod ex Pomponii Rifi Collectorum libro Val. M. IV, 4, 1. repetit: „Cornelia Gracchorum mater cum Campana matrona, apud illam hospita, ornamenta sua pulcherrima illius saeculi ostenderet, traxit eam sermone, quoque e schola redirent liberi et, Haec, inquit, ornamenta mea sunt.“ Cujus scriptoris, ceterum obscuri, auctoritatem tanto majoris facere soleo, quod inter Pomponios et Gracchos necessitudo quaedam et amicitia fuisse videtur. Mater enim P. Scipionis Africari majoris fuerat Pomponia

(Sil. Ital. XIII, 615), Pomponius C. Gracchum, cuius liber ad eundem scriptus Ciceronis tempore superabat (de div. II, 29, 62), in extremo vitae discrimine adjuvit, (Val. M. IV, 7, 2) apud Pomponium vatem Plinius major Gracchorum manus vidit post annos CC. (n. h. XIII, 26, 12) et ad M. Pomponii Attici patrem fortasse Junius Gracchanus, a C. Gracchi amicitia cognominatus de potestatis scripsit. Cic. de legg. III, 20. (v. quae scripsi in Annal. Berol. 1843 Nr. 39. p. 307.) De Pomponiis literatis cf. Welcker. Griech. Tragoed. T. 3. p. 1441. Corneliae autem animum haud dubie aluerat literarum Graecarum notitia et Graecorum hominum consuetudo, quibus ex Graecia obsidibus aut profugis Scipionum et Aemiliorum domus patebat, quales nobis innotuerunt Polybius, Panaetius, Diophanes Mitylehaeus, Blossius Cumaeus, Antipatri Tarsensis discipulus et familiaris. cf. Nitzsch. I. I. p. 29. 58. Plut. v. Ti. Gr. 8.

Ad reliquam Corneliae vitam pernoscendam non alienum erit quaerere, quo loco versari solita sit. Sunt autem tres commorandi modi, quibus utrum semper, an aliquamdiu usa fuerit, distinguendum est. Aut enim semper extra urbem, aut semper Romae degentem, aut alternantem domicilium habebimus. Atque in urbe aliquando degisse, quum per se sit consentaneum, tum eo nos ducit narratio de Campana hospita et liberis e schola redeuntibus, tum philosophorum in urbe degentium filiosque docentium memoria. Verum Campanae illius mentio, et Blossii Cumaei nomen, haud dubie Blossiorum Campanorum, quos Livius 23, 7. 27, 3 commemorat gentilis, ad Campaniam nos remittit, ubi Scipio pater in Liternino exul degisse

fertur. (Liv. 38, 52, 1. Val. M. II, 10, 2.) Itaque ex hoc tempore aut ex alia peregrinatione hospiti illius causa repetenda erit. Verisimile est Corneliam postea usque ad mortem Tiberii filii Romae habitasse, quam deinde relictam, nunquam repetivisse mihi quidem persuasum est. Legimus enim apud Orosium V, 12. „Caput Gracchi excisum consuli allatum est, corpus ad Corneliam matrem Misenum oppidum devectum est“ (quam vocem frustra torquet Gerlach. Ti. u. C. Gr. p. 62). „Haec autem Cornelia, Africani majoris filia, Misenum post prioris filii mortem secesserat.“ Quibus nihil fidei detrahitur, quod Plutarchus in extrema demum C. Gracchi vita scribit (v. C. Gr. 19) Άλη δὲ περὶ τοῦς καλομένους Μισηνὸς διέρριψεν. Urbis relinquendae consilium quin Corneliae tristis Tiberii exitus et in amicos habitae ab adversariis graves quaestiones dederat, mihi non est dubium. Ita, fractis partibus Gracchanis, securitati consuluit et fortasse vitam adeo atque rem familiarem inimicorum odio et invidiae subtraxit. Quam exulandi causam qui veram nos vidisse concesserit, idem Corneliam semper urbana commoratione abstinuisse facilius crebet. Verum cum hac persuasione quomodo conciliari possunt verba C. Gracchi, apud Ciceron. de or. III, 56, 214 servata? „Quo me miser conferam? quo vertam? in Capitoliumne? at fratris sanguine redundat; an domum? matremne ut miseram lamentantem videam et abjectam?“ Absurdum enim foret, domum ad Misenense Corneliae domicilium referre, quum aedes C. Gracchi, quas in Palatio fuisse scimus (Plut. v. C. Gr. 12), si ipsum in foro concionantem fingis, unde utrumque montem suspiciebat,

hanc cogitandi seriem excitasse videantur. Nèque prudentius rem expediremus, si audire liceret Ellendtium (ad Cic. de or. I. I. T. 2. p. 459), qui, quoniam Quintilianus XI, 3, 115 eadem breviata sic affert: „quo me miser conferam? in Capitoliumne ad fratri sanguinem? an domum?“ quae, inquit, quo simpliciora sunt, eo certius Gracchi aetatem referre videntur, etsi matris ille pluribus sane meminisse potuit. — Nam neque C. Gracchi reliquiae insignis breviloquentiae exempla continent, neque subjectionis figura, ubi proponuntur, quae objici possunt, et statim refutantur, perfecta foret, neque ii loci, qui dicti Gracchani imitacionem referre creduntur (cf. Vulpius ad Catull. 63, 177. p. 291) brevioris formae fidem faciunt. Deinde Ciceronis auctoritas preferenda erit, qui Gracchorum aetati propior, orationes eorum legisse profitetur (Brut. 53.), quod quidem de Quintiliano affirmare non licet. Itaque credendum est Spaldingio ad Qu. L. I., hunc scriptorem sive pro more consulto contraxisse, sive memoria lapsum esse. Adde quod Cic. I. I. ita præfatur: „Quid fuit in Graccho, quem tu melius, Catule, meministi, quod me puer tantopere ferretur?“ unde etiamsi Gracchi verba non legisse videatur, sed ex ore hominum referre, tamen fides ejus non debilitatur. Sed jam alia instat quaestio paulo difficilior de tempore, que ita locutus esse C. Gracchus arbitrandus sit. Duorum vv. dd. conjecturas novi, quarum neutra placet. Ellendtius Prol. Brut. p. XLIV. „Non multo ante ultimam necessitatem negotiis pacem inimicis eam orationem habitam a Graccho crediderim“ Id. ad. Cic. de or. I. I. „Verisimile est ex oratione desumpta esse, quam

C. Gracchus habuerit cum L. Opimius cos. factio-
nem senatoriam ad arma vocasset.“ At Plutarchus
v. C. Gr. 16. voluisse quidem Gracchum adire
senatum scribit, sed prohibitum esse ab amicis,
et tamen coram inimicis locutum oportet, si vera
sunt, quae addit Cic. I. I.: „Quae sic ab illo esse
acta constabat oculis voce gestu, inimici ut lacrimas
tenere non possent.“ Altera Meyeri Or. Rom. fr.
ed. sec. p. 248: „Ego potius orationi de legibus
a se promulgatis vindicaverim.“ Cujus nullam video
necessitatem aut commendationem. Sed huic pariter
atque illi obstat, quod duodecim aut undecim
annorum spatium, quot quidem inter caedem Ti-
berii et priorem aut alterum Gaii tribunatum sunt,
parum aptum videri possit imagini Capitolii san-
guine fraterno redundantis, multoque minus in
matrem quadrat, quam vix credibile est, tamdui
Tiberio illacrymasse, quamque insuper Plutarcho
teste (v. C. Gr. 19.) fortiter filiorum casus tulisse
novimus. Quae cogitatio necessario ad tempus nos
ducit, quod Tiberii caedem proxime insecum est,
quo Corneliam Romae commorantem facere
nulla re vetamur, eamque cum filio superstite in
deflenda Tiberii nece multos fuisse, naturae con-
sentaneum erat. Ceterum quis negaverit, Gaium
Gracchum in concionibus fraterna caede saepius
usum esse, quo efficaci artificio popularium animos
excitaret? Quamobrem non opus est, ut hoc dic-
tum propter Plutarchi verba v. C. Gr. 3. Παραλα-
βὼν δὲ τὴν ἀρχὴν, εὐθὺς ἡνὶ ἀπάντων πρῶτος, ἵσχεων
τε τῷ λέγειν, ὃς ἄλλος οὐδεὶς καὶ τοῦ πάθους αὐτῷ
παρθῆσιαν πολλὴν διδόντος ἀνακλαιομένῳ τὸν ἀδελ-
φὸν, ad tribunatus tempora referatur. Republi-
cam autem C. Gracchus admodum juvenis attigerat,

a fratre triumvir agris dividendis creatus. Liv. Ep. 58. Vellei. II, 2. Itaque nihil est, cur Corneliam usque ad supremum diem Miseni deguisse negemus, cui sententiae qui unus refragari possit Plutarchi locus v. C. Gr. 4, eum infra tractabimus. De vitae ratione Plutarchus. v. C. Gr. 19 nos certiores facit. Αὗτη δὲ περὶ τούς καλομένους Μισηνοὺς διέριθεν, οὐδὲν μεταλλάξασα τῆς συνήθους διαιτης. Ήν δὲ καὶ πολύριλος καὶ διὰ φιλοξενίαν εὐτρόπεξος, δεῖ μὲν Ἐλλήνων καὶ φιλολόγων περὶ αὐτὴν ὄντων, ἀπάντων δὲ τῶν βασιλέων καὶ δεχομένων παῦσι αὐτῆς δῶρα καὶ περπόντων. In quibus extrema nobis paulo obscurius dicta sunt, et fortasse veritatem excedunt, quum praeter Ptolomaeum regem nemo alter in censum veniat. Quando obierit Cornelia non constat, nam quod a. u. 653 Sempronia filia ad populum producta est, quae Equitium, Tiberium fratrem parentem sibi ementientem refelleret, minus probat, illam jam decessisse, quam potius perpetuam ejus ab urbe absentiam confirmat. Quidni enim etiam tum vixerit, quae quibusdam prae senectute amens facta visa sit? (Plut. v. C. Gr. 19.) Non magis liquet, utrum ei vivae, an mortuae populus Romanus (a filio statuam positam festinanter scripsit Fabricius bibl. Lat. T. I. p. 110.) honorem statuae concederit. Plut. v. C. Gr. 4. ης γε καὶ χαλκῆν εἰκόνα στήσας ὑστερον ἐπέγραψε (δὸς ὅμηρος) Κορνηλίαν, μητέρα Γούλχων, de qua Plin. n. h. 34, 6, 14. „Exstant Catonis in censura vociferationes, mulieribus Romanis in provinciis statuas ponи, nec tamen potuit inhibere, quo minus Romae quoque ponerentur, sicut Corneliae Gracchorum matri, quae fuit Africani prioris filia. Sedens huic posita, soleisque sine amento insignis in

Metelli publica porticu, quae statua nunc est in Octaviae operibus.“ Ad quae primum observandum est, Catonis a. u. 570=184 censoris mentionem minime ad eam aetatem pertinere, quo Corneliae statua posita sit, cui eum honorem non ante filios legibus latis inclarescentes contigisse consentaneum est, fortasse eodem tempore, quo populus horum desiderio commotus, publicam iis, statuis positis memoriam tribuit. (Plut. v. C. Gr. 18.) Deinde Metelli porticus, in cuius locum postea Octaviae porticus successit, exstructa est a. u. 605 a. Q. Caecilio Metello Macedonico, quo anno Cato obiit. cf. Becker. Handb. d. roem. Alterth. T. 1. p. 608. sq. Beschrbg. d. St. Rom. T. 3. P. 3. p. 33. sq. De amento Paul. Diac. p. 12. M. cf. Becker. Gallus. T. 1. p. 37. T. 2. p. 103. Soleae sine amento utrum artificis negligentiae imputandae sint, an aliud quid sub his lateat, non habeo dicere. Corneliae cum Campana hospita congressum ars quoque recens tabulis ab Angelica Kaufmann et Hetschho pictis celebravit. (v. Goethe. Op. T. 24. p. 89. T. 26. p. 87.)

Praeter consentientes landes a liberorum educatione antiquitus Corneliae tributas ad mores ejus cognoscendos animus facit, quo filiorum vitam publicam prosecuta sit. Quo nomine si Tiberium respicimus, unum Corneliae dictum a Plut. v. Ti. Gr. 8. relatum reprehendimus, reprehendentis filios, quod Scipionis adhuc socrus, neque Gracchorum mater audiat, unde tamen parum liquet, utrum tribunicia Tiberii consilia probaverit an aversata sit. Nam quod deplorantem matrem immaturam Tiberii mortem ipse Gaius memorat (Cic. l. l.) humano et materno animo ita dignum est, neutrius senten-

tie ut nos certiores faciat. Paulo validius documentum mihi ex secessione ejus petere posse videor, qua causas quoque caedis in Tiberium factae improbasce censenda est. Cujus periculosum opus, si ab initio quidem summa tantum exspectatione nihil eum aut impellendo, aut deterrendo prosecuta fuerit, Gaium tamen, eadem ausum, ut majori cura et consilio faveret, et propter illius caedem par erat, et scriptorum testimonio evincitur. Sic privilegium in M. Octavium Caecinam latum, quo vetabatur is, cui populus semel magistratum abrogasset, iterum creari posse, C. Gracchus sustulit, φίσας, τῇ μητρὶ Κορηλίᾳ δευθεῖσῃ χωρίζεσθαι τὸν Ὀκταοῖον. Καὶ ὁ δῆμος ἡγάσθη, καὶ συνεχόμοισε, τιμῶν τὴν Κορηλίαν οὐδὲν ἦτον ἀπὸ τῶν παιδῶν, η̄ τοῦ πατρός. Tulerat autem eam legem, quam unus Plutarchus commemorat, ut ex narrationis ejus serie apparet, priore tribunatu. a 631. Quo tempore Cornelia Miseni degisse credenda est, nam si Romae affuisset, filii consilio de lege feren- da cognito, impedivisset opinor, quominus eam proponeret, neque ejus absentia obstat, quominus ante perlatam legem ad eam tollendam filium permovevit, quem vel ante legem Caeciliam Didiam (a. u. 655.) trinundinum observari solitum sit. Liv. III, 35. Dion. Hal. X, 3. cf. Schulze üb. d. Volksver- smgl. d. Roem. p. 208. Quam causam tollendi, quem ipse ingenui apud populum profiteretur, non mirum est, adversarios matrem, tanquam consilio- rum filii participem et moderatricem, convicia lacerasse, ita ut ejus patrocinium suscipere C. Gracchus non semel coactus fuerit. Quo pertinet illud a Plat. v. C. Gr. 4 servatum: Σὺ γὰρ Κορη- λίαν λοιδορεῖς, τὴν Τιβέριον τεκοῦσαν; et Tίνα δ·

ἔχων παρδησίαν, συγκρίνεις Κορηλίᾳ σεαντόν; „Ετε- κες γὰρ, ὃς ἐκείνη; Καὶ μὲν πάντες ἴσασι ‘Ρωμαῖοι πλειον χορόν ἐκείνην ἀπὸ ἀνδρὸς οὐσαν, ἢ σὲ τὸν ἀνδρα. quae in Maevium dicta esse videri possunt. cf. Isi- dor. Or. 19, 32. Senec. cons. ad Helv. 16. Contra incerta sunt atque dubia, quae instigasse filium matrem produnt. Plat. v. C. Gr. 13. ἐνταῦθα (a. u. 632) καὶ τὴν μητέρα λέγονσιν αὐτῷ συστασιά- σαι, μισθονμένην ἀπὸ τῆς ζένης χορόφα καὶ πέμπονσαν εἰς ‘Ρώμην ἄνδρας, ὃς δὴ Θεοίστας ταῦτα γὰρ ἐν τοῖς ἐπιστολοῖς αὐτῆς ἡμιγμένα γεγράφθαι πρὸς τὸν θίόν. Ετεροι δὲ καὶ πάντα τῆς Κορηλίας δισχεραινού- σης ταῦτα πράττεοσθαι λέγονσιν. Ad quae illustranda facit Jul. Vict. a. rh. 27. p. 266, Or. „Lucem vero epistolis præfulgere oportet, nisi quum con- sulto consilio clandestinae literae fiant, quae tamen ita ceteris occultae esse debent, ut his, ad quos mittantur, clarae perspicuaeque sint. Solent etiam notas inter se secretiores pacisci, quod et Caesar et Augustus et Cicero et alii plerique fecerunt.“ Narrationis autem ambiguitas, quam non dirimere ausus est, sed referre maluit Plutarchus, mihi partium invidiae deberi videtur, quorum commenta, quantum hujus aetatis historiae detrimentum at- tuerint, mecum alii senserunt. Evidem eorum sententiam praetulerim, qui invita Cornelia filium Opi- mio consuli adversatū esse scripsere, ut mores matris, quales cognovimus, constantes sibi et per- petuos habeam. Neque quibus id displicet, utram- que famam simul veram esse dabimus, ut opitulata quidem sit filiu in summo discrimine versanti, licet omnino ejus consilia improbabret, eique graviter suc- censeret, quum infaustum exitum animus praesa- giret, talem agendi rationē matri condonantibus.

Nam si discrepantiae fundus matris epistolae erant, alterutrum verum esse debuit; quid autem praeoptandum sit, vel Plutarchi adhibita cautione significatum est. Mortuos vero filios, quorum acta, dum vivebant, improbaverat, justo amore prosequebatur, atque virili prope animo, quem fortasse, Stoicorum praecepta nutriverant, desiderium eorum cohibuit. Plut. v. C. Gr. 19. *Kαὶ μέντοι καὶ ἡ Κορηνηλία λέγεται τὰ τ' ἄλλα τῆς συμφορᾶς εὐγενῶς καὶ μεγαλοψύχως ἐνεγκεῖν, καὶ περὶ τῶν ἰερῶν, ἐν οἷς ἀνηρέθσαν, εἰπεῖν, ὡς ἀξιοὺς οἱ νεκροὶ τάφοντες ἔχουσιν.* — Θαυμασιωτέρη δὲ, τῶν παιδῶν ἀπενθήσα καὶ ἀδάκοντος μνημονεύοντα, καὶ γάρ η καὶ πράξεις ὀντῶν, ὥσπερ ἀρχαίων τινῶν, ἐξηγονμένη τοῖς πννθανομένοις. Senec. cons. ad Helv. 16. ad. Marc. 16.

Verum ejus feminae animo, pietate, castimonia, integritate et candore sanctissimo, cui meritas laudes jam antiqui tribuerunt, una tamen labes adspersa est, et a veteribus et ab recentioris aevi hominibus propagata et aucta: suspicio caedis in P. Cornelium Scipionem Aemilianum, generum et fratris adoptivum filium, a. u. 625 patratae. Cujus viri mors subita, quum jam aequalibus non fatis deberi videretur, sed propter ejus in partibus tunc Romae decertantibus locum invidiae potius et violentiae tribuenda, tanta jam antiquitus famae diversitas obtinuit, ut vel aetate haud ita remoti arbitri, rumoribus variis significatis satagere maluerint, quam certam ipsi sententiam proferre ausi sint. Trium autem mortis generum, fato, morbo, voluntati debitae auctoribus antiquis indicia quaedam suppeditantibus, larga conjectandi materia se offert, quam, quo magis ambigua atque incerta ad nos antiquitatis testimonia pervenerint, eo acrius

doctorum hominum contentio excussit. Exitu voluntario omissio, quippe qui nullis fere antiquorum testium documentis, neque ex rerum conditione petitis probetur, jam inter mortem fatalem et violentam quam maxime nutat opinio. Postquam enim Vitus Theoph. Scheu diss. hist. crit. de morte Scipionis Africani minoris ejusque auctoribus. Viteberg. 1809. 4. repetita et annot. instructa a Beiero ad calcem ed. Laelii Cic. p. 174—201 mortis fatalis patrocinium susceperebat, nuper F. D. Gerlach, in libello inscripto: *Der Tod des P. Cornelius Scipio Aemilianus.* Basél. 1839. caedis partes egit, Papirio Carboni scelus commissum imputans, in qua sententia v. d. perstitit, tralata ea commentatione, paucis aucta et emendata in Studia historica. 1841. p. 202—254, ejusque subscriptorem in universum nactus est G. F. Hildebrand, qui libelli Gerlachiani doctam atque prolixam censuram exhibuit in Jahn. annal. philol. 1840. vol. 29. fasc. 4. p. 373—400., crimen tamen necis a Papirio Carbone ad Fulvium Flaccum transposito. Eos enim, qui insidiis necatum Scipionem sibi persuaserunt, altera statim excipit quaestio de auctore caedis ex pluribus, qui in suspicionis communionem veniunt, constituendo. Propter cuius rei impeditam et ancipitem naturam non defuerunt, qui post illos rursus Scheuiana sententiae defensores existerent, Brückner in diar. phil. Darmst. a. 1841. N. 52. p. 425., K. W. Nitzsch, Polybius Kiel 1842. p. 83. Peter, Zeittafeln der röm. Gesch. p. 131. Quibus interpositis Gerlachius nihil sententiam mutasse videtur, quantum judicare licet ex scriptione nupera: Tiberius u. Gaius Gracchus. Basel 1843. Quam quaestionem quum hujus loci

non sit totam retexere, neque spes arrideat iore, ut pro fontium conditione quidquam certi effici possit, magnopere tamen ad Corneliae mores pertineat, utram de ea re sententiam probaveris, necessarium visum diligentius perquirere, quo jure quave injuria ad eam suspicionis ignominia delata sit. A qua profecto non fortius defendi potuerit, quam si contigerit probare, Scipionem fatis functum esse, unde primum nostrum putavimus, quibus ea sententia argumentis nitatur, inquirere. Solent autem ejus tres auctores proferri. Vellei. II, 4, 6, „Seu fatalem, ut plures, seu conflatam insidiis, ut aliqui prodidere memoriae, mortem obiit“ — quae utrum fontibus revera dinumeratis, an paulo confidentius et negligentius scripserit, parum refert, quum non ex numero testium, sed ex auctoritate eorum et pondere fides historica suspensa sit. (Gerlach. Tod d. Sc. p. 34. Hildebrand p. 377.) Miror Brücknerum hunc locum omisisse. Accedit Plut. v. Rom. 27. οἱ μὲν αὐτομάτως ὅντα φύει ροσάδη, καμεῖν λέγοντιν. Sed Dion. Cass. fr. Peiresc. 89. οὐκοῦν οὐδὲ τῶν ἀντιστασιαστῶν τις αὐτῷ θανόντι ἐφῆσθη. ἀλλὰ καὶ ἐκεῖνοι καίπερ βαρύτατον αὐτὸν σφίσι νομίζοντες εἶναι ἐπόθησαν χρήσιμόν τε γάρ πρὸς τὰ κοινὰ ἑώρων καὶ δεινὸν οὐδὲν οὐδὲν ἀν σφεῖς παθεῖν ἀπ' αὐτὸν προξεδόνων. ἐπεξαιρεθέντος δὲ τούτου — non possum cum Brücknero p. 428 testimonium de naturali morte habere, quum vocis θανόντι ambigua potestas sit, alterius vero ὑπεξαιρεθέντος etiam sublatae vitae indicium continet. Neque ab hoc scriptore, Livium sequi solito (cf. Ep. I, 59.), aliud quid exspectare licebat. Plurimum auctoritatis si sana esset, C. Laelii oratio haberet, apud Schol. Bob. ad Cic. pro Mil. 72. p. 283. Or.

,Super Africani laudibus extat oratio C. Laelii sapientis, qua usus videtur Q. Fabius Maximus in laudatione mortui Scipionis, in cuius extrema parte haec verba sunt: Quapropter neque tanta diis immortalibus gratia haberi potest, quanta habenda est, quod is cum illo animo atque ingenio in hac civitate potissimum natus est, neque ita moleste atque aegre ferri, quam ferundum est, cum eo morborum te movit, et in eodem tempore petuit, cum et vobis et omnibus, qui hanc rem publicam salvam volunt, maximo vivo opus est Quirites.“ Ita cod. ms., unde Maius fecit: *cum eo morbo obiit et in eodem tempore periit*; Orellius scripsit: *quum eo morbo mortem obiit, et in eo tempore periit*. Quibus non contentus R. K (lotzius?) in Annal. hist. et polit. ed. Bühlau 1842 p. 372. *mortem obiit*, retinendum censet, quum aperte codex *tem* praebat, *eo morbo* vero, tanquam nullius sensus spernenda, et flagitante enunciatorum aequalitate scribi jussit: *quod eo momento mortem obiit, et in eo tempore periit, cum et vobis*. Quae quam languida sint, nou opus est pluribus exponere. Incisorum autem parallelismus, quem dicit K., hoc loco, ut in praecedentibus significandus erat particula *atque*. Sed corrupta esse Laelii aut Fabii verba quanquam non ibimus infitias, tamen propterea cum Hildebrando p. 377 non erunt tanquam spuria rejicienda. Quicquid autem scriptum fuit, licet sperare id ejusmodi fuisse, ut novum aliquod fatali morte decedentis Scipionis inde documentum peti non potuerit. Neque enim ob aliam causam scholiasta videtur hanc orationis funebris particulam attulisse, nisi ut aequalis et propinquai testimonio confirmaret.

ea, quae apud ipsum leguntur: „repentina morte domi suae interceptus est, non sine infamia et ipsius C. Gracchi et uxoris suae Semproniae.“ Recte tamen Klotzius vidit, morbi vocabulum huic loco parum idoneum esse, quod ne ad illud quidem mortis genus, quo Scipio, pridie validus et integer, obierit, pertineat. De ea autem difficultate, qua Laelius duobus Africani propinquis, eum laudatur, scripsit (Cic. de or. 2, 84, 341), etiamsi nullo simili exemplo illustrari possit, tamen non video, cur tantopere illud utendi verbum ad usum quandam ex parte et Hildebrandus p. 376 et Gerlachius p. 46. (Stud. hist. p. 252.) restringant, quum eandem vocem Cic. de or. l. l. sensu quotidiano adhibeat. Orationum aliis scriptarum ex laudativo genere ipsius Ciceronis exemplum attulit Ellendt. ad Cio. de or. p. 334, cui addendus Tac. An. XIII, 3. — Itaque de naturali Scipionis morte unum Velleji et Plutarchi testimonium superat, quod qui caedem factam asseverantibus praetulerit, Corneliam nefarii sceleris expertem habebit. Sed nobis satis multi et graves auctores sunt, qui necatum Scipionem aut aperte contendunt, aut ex superiorum scriptorum mente suspicionem caedis repetunt, Liv. Ep. 59. Oros. V, 10. Val. M. IV. 1, 12. Plut. V. C. Gr. 8. v. Rom. 27. Appian, b. c. 1, 20. unus ille, qui nominatim Corneliam ream facit. Recentiores plurimum momenti tribuere solent Ciceronis iteratis de ea re sibique constantibus dictis. De quibus nolo repeterem, quae verissime monuit Brückner. p. 429. Nusquam enim Cicero de vi Scipioni illata persuasum sibi esse profitetur, sed homines ita censuisse aut existimatasse caute scribit. de am. 3, 12, ad fam. 9, 21, 3.

Verum etiamsi de genere mortis, quam Scipio percessus sit, multo apertius constaret, Corneliam tamen eo crimen liberari posse confido, cui duea maxime res patrocinantur. Nam suspiciose hominum erminationibus, partium invidia excitatis et auctis morum integritas adversatur per totam vitam continuo probata, obstat filiorum, maternae disciplinae alumnorum animus moderatus et ab omni vi abhorrens. Corneliam igitur, virtutis perpetuitate conspicuam, dum ab ea ne semel quidem delapsam concedo, sed vel contra Appiani testimonium flagitio atrocissimo eximendam censeo, id quam recte fecerim, psychologiae peritiores judicent. Sed ad eam persuasionem stabilendam accedit alterum argumentum. Nam si vera sunt, quae supra de commoratione Corneliae disputavimus, ea a. u. 625, quo Scipio decessit, ne Romae quidem fuit. Licet enim tempus, quo urbem reliquerit, non possit accurate definiri, tamen si propter caudem Tiberii et res quae hanc secutae sunt, Misenum demigravit, eodem potius anno urbem reliquisse putanda erit, quam quatuor minimum annos remansisse. Consilium autem Scipionis necandi, si a quoquam est initum, citius ortum videatur, quam quod per epistolas ei absenti communicatum videri possit (Vellei. II, 4. reversus in urbem intra breve tempus — repertus est mortuus); quod etiamsi licisset, tamen parum verisimile est, eam mentem praeter necessitatem, pluribus traditam esse, nedum feminae, filii copta fortasse jam improbanti. Cui si constanter caedis suspicio adhaesisset, num quaeso veri est simile, populum, qui Scipionis desiderio flagrabat, Corneliae memoriam statua posita nobilitasse? Denique

non perspicitur, quid tantoqere eam ad illud flagitium adigere potuerit. Facile enim dabo matrem filio periclitanti vita ut succurreret, ad minus licita confugere potuisse, qualia sunt, quae Plut. v. C. Gr. 13. de operis Romam missis refert, caedem vero inimicorum, ipsi filii, quamvis multis vehementer adversantibus, nunquam salutis medelam adhibuerunt. His vindiciis Corneliae virtuti satisfecisse mihi videor, neque iis diutius audiendis vacabo, qui a praeccipite, effrenato et ferventi honoris studio criminis commissi causam repetunt, sicuti Hildebrandus. p. 587. scribit: „So möchten um das Ganze kurz zusammen zu fassen, Liebe zur höhern Bildung, unbegrenzter, glühender, ja wilder Ehrgeiz, durch den die Mutterliebe sich stärkte und bethäigte, und ein entschiedener freier Sinn, der allen Stürmen des Lebens gewachsen war, als die Grundzüge hervorzuheben sein in dem Charaktergemälde der Cornelia.“ quem propter illa verba jam Gerlachius. hist. Stud. p. 244. castigavit, licet ipse p. 242 non prorsus ab eo dissentiens. Idem p. 599 ex Ciceronis de n. d. III, 32, 80. verbis videtur mihi justo plura collegisse. „Cur Africanum domestici parietes non texerunt?“ quippe, ait, ex intimo aedium caedes profecta sit, Semproniam uxorem a Cornelia corruptam indicari ratus. Sed comparatis quae autecedunt exemplis foris pereuntium et sequentibus: „Cur — P. Ru-tilius in exilio est? cur sodalis meus imperfectus domi suae Drusus — Cur enim Marius — domi suae senex est mortuus“ (cf. pro Mil. 7, 16.) appareat, Ciceronem, ut probet deos ne bonis quidem consulere (§. 79), foris necatis interponere

domi sublatos, sine ulla cogitatione domesticine an alieni caedem perpetraverint.

Quac hucusque de vita moribusque Corneliae proposuimus, non sunt alio consilio scripta, quam ut epistolarum, quae sub ejus nomine feruntur fidei et auctoritati dijudicandae viam aperiant. Ad quam quaestionem solvendam quum vv. dd. multa et diurna dissensio invitet, tum et literarum antiquitatis instaurandarum cura philologis permissa provocat. Nam literarum Latinarum ambitus, licet Graecis inferior sit, tamen non minus atque illae, reliquiis dubiis et incertis abundat, unde inconstantia quaedam ingrata et ambiguitas judicii haesitantis exoritur. Deinde quo pauciora ex aetate Gracchorum prosariae orationis fragmenta supersunt, epistolarum vero muliebri stilo scriptarum nihil prorsus diem tulerit, eo majoris momenti foret, si has reliquias pro genuinis habere liceret. Simul tamen inde ejus quaestionis penitus perspicienda difficultas crescit, impedita fere aut praecclusa adeo comparandi opportunitate. Sed ut ad propositum nostrum gressum faciamus propiorem, epistolarum Corneliae notitia ex antiquitate repetenda est. Antiquissimum testem habemus Ciceronem, Brut. 58, 211. „Legimus epistolam Corneliae, matris Gracchorum; apparet, filios non tam in gremio educatos, quam in sermone matris.“ Idem vero Graecorum orationes legerat. Brut. 27, 104. 31, 117. 33, 125, 126. Proximus illi Quintilianus 1, 1, 6. „Nam Gracchorum eloquentiae multum contulisse accepimus Corneliam matrem, cuius doctissimus sermo in posteros quoque est epistolis traditus.“ Quae ita scripta sunt, ut ipse non legisse videatur illas literas, quae tamen secundum

extrema verba etiam tum superstites erant. Earum duobus locis Plutarchum mentionem facere (v. C. Gr. 4. 15) supra vidimus, quorum alter ita comparatus est, ut non lectas fuisse illi epistolas, mihi quidem aperte indicet: λέγονσιν — ταῦτα γὰρ ἐν τοῖς ἐπιστολοῖς ἥνηγμένα γεγράφθαι πρὸς τὸν θίνον, quam lectionem codd. a Sintenisio collati confirmant, quorum nullus γέγραπται exhibit. Itaque festinanter Heerenius scripsit in Comm. soc. Gott. Vol. IV, p. 92: „Legebantur a Plutarcho matris Corneliae ad Caium filium epistolae, ex quibus nonnulla saltem eum in usum suum convertisse certum puto,“ quae ut pluribus persequar, nunc non opus. Cautius Lange: (Verm. Schr. p. 110) „At Plutarchus vel hoc incertum reliquit, utrum tale quid omnino in epp. significatum fuerit, necne.“ Quae literae si forte jam aetate Quintilianii rarescebant, impeditum est affirmare, eas colloquatas fuisse in tribus epistolarum libris, quas ex antiquiorum bibliothecis Crassus Mucianus contraxit. dial. de or. 37. Neque quis justius ad easdem Plinii n. h. XIII, 26 verba retulerit, testantis, se Ti. et C. Gracchorum manus apud Pomponium Secundum vidisse, quo quidem vocabulo et orationes et epistolas comprehendere licebit, quibus matris literae fortasse junctae fuerint. Uno igitur Ciceronis testimonio docemur, quo usque illae reliquia in manibus hominum versatae sint. Non enim facile alicui Lindemannus de Corneliae verbis persuadebit, quae apud Charisium detexisse sibi visus est. Ad cuius locum 1, 23. (p. 57. L.) „Heres, parens, homo, etsi in communi sexu intelligantur, tamen masculino genere semper dicuntur. Nemo enim aut secundam heredem dicit, aut

bonam parentem, aut malam hominem, sed masculine tametsi de femina sermo habeatur. Nam Marcus ait: heredes ipsus secundus. Et Pacuvius in Medo, cum ostenderet a Medo matrem quaeri, ait: Te Sol invoco, ut mihi potestatem duis inquirendi mei parentis. Sed Gracchus: Suos parentes amat, cum dicit in significatione matris. Et in alia epistula: Tuus parens sum ait, cum de se loqueretur. Et apud Virgilium sic legimus: Ecqua tamen puer est amissae cura parentis. — v. d. justo brevius adscripsit: „Uterque locus aperte desumptus ex epistolis matris Corneliae.“ unde aegre cognoscere licet, quam sententiam de h. i. conceperit, quem non melius intellexit Meyer. frg. Or. p. 127, ed. pr. „suos parentes i. e. pro matre Gracchus dicit parentes, ut aliis auctor tuus parens sum h. e. tua mater.“ Neque Garatonium ad Cic. Phil. II, 20 laudare opus erat, qui usus quidem Charisii loco, Gracchi tamen verba omisit. Quae ut nunc sunt, et sana esse et perspicua mihi quidem videntur. Charisius enim, ut demonstraret, parentis vocabulum, sive de mare, sive de femina usurpatum, semper masculini generis esse, scite duos locos ex epistolis C. Gracchi delegit, quorum altero matrem, altero se ipsum significans, eodem genere usus erat. Nam ad vocem ait necessario idem subjectum requiritur, quod cum dicit junctum praecesserat, i. e. Gracchus, neque ex vocabulo *matris* ad sequentia: *Et in alia epistula*, matrem sub-intelligere licet, quo facto saltem verba: *Tuus parens sum Corneliae vindicarentur*, quae insuper ex mente matris languidiora sunt, contra filio adscripta, singularis pietatis testimonium exhibent. — Quae quum ita sint, mihi Corneliae epistolae, nisi

forte Muciani industria servatae, jam pridem intercidisse videntur, quippe quarum post Plutarchum nulla fiat mentio. Neque id mirum. Nam ad eas servandas historicorum antiquorum consuetudo scribendi parum contulit. Qui quanquam inde a Catone orationibus suis in Origines receptis, his annalibus inserendis rerum atque hominum locupletare coeperunt memoriam, sicuti Cic. Brut. 21, 81 testis est, Q. Metelli orationem contra Ti. Gracchum expositam fuisse in C. Fannii annalibus, tamen Meyer. fr. hist. Rom. p. 250. ed. sec. temere conjectisse videtur, epistolas C. Gracchi non ab ipso editas, sed a C. Fannio, qui totam Gracchorum historiam perscripsit, huic insertas fuisse. Nam epistolarum, in libros historicos receptarum per quam exigua memoria superat. Trium enim historicorum, quorum exemplo utitur Krause. hist. Rom. fr. p. 173, 249, 302, Val. Antiatis, Cl. Quadrigarii, Sisennae, re accuratius inspecta fere ad nihilum auctoritas redit. Et Val. Antiatis annalibus inclusas fuisse epistolas ex Gell. VI, 8 non posse colligi, jam recte monuit Liebaldt. (De Val. Ant. Numbg. 1840. p. 20.) Quod ad Sisennam attinet, omnes eos locos, qui leguntur apud Non. rv. Nolitote, Deducere, Necessitudo, Illex, Nex ex orationibus desumptos esse, neque vero ex epistolis probavit Wernicke (Sisenniana. Thoruni. 1829. p. 26.) Cl. Quadrigarii ex libro duodecimmo principium apud Gell. 1, 7. ipsius auctoris epistolam inchoare, ad eum, cui librum miserat, verissime censet Giesebrecht. (Üb. Q. Claudius Quadrig. Prenzlau. 1831. p. 13.) Itaque ex eodem unae literae supersunt, quas ad Pyrrhum C. Fabricius et Q. Aemilius consules miserunt. (Gell.

3, 8.) Si ad inferioris aevi historicos transgredimur, non frequentiorem epistolarum usum reprehendimus, nam praeter Lentuli inclytas literas ad Catilinam datas apud Sall. Cat. 44, 4 superstites, quibus accedunt ex ejusdem historiarum libris excerptae epistola Cn. Pompeji ad senatum et Mitridatis ad Arsacen regem ab Orellio cum Vellejo Paterculo editae, mihi nullas indagare contigit. Livius quoque rarissime literarum mentionem facit, neque nisi publice missarum: 5, 28, 13, 27, 39, 1. 45, 1, 6. Unde conjicere licet, neque eos historicos, quorum opera intercidérunt, plura epistolarum exempla continuisse, quod in universum jam propter Graecorum scriptorum similem de his abstinentiam exspectare licebat, ad quorum imitationem Romani se componere solebant. Videntur autem in epistolis adhibendis, si ex paucis exemplis conjecturam facere licet, historici Romani, aliam atque in orationibus utendis rationem secuti esse. Has enim, de verbis genuinis minus solliciti, suo plerumque stilo refingebant, illas, fortasse propter brevitatem, intactas reliquerunt, addentes insuper, earum exemplum sese reddidisse. Quo magis dolendum est, epistolas raro ad fidem historiarum augendam propositas inveniri. Eloquentiae autem studium adeo Romanorum animos occupaverat, ut et aliis literarum generibus et epistolari officeret, unde harum conservandarum negligentiam et in iis quae aetatem tulerunt libris penuriam merito derivaveris. Epistolae vero, quo magis dicendi libertas delitescebat, orationis locum obtinuisse videntur, ita ut apud posteriores demum artis rhetoricae magistros, earum scribendarum paecepta reperiantur. cf. Bhdv. Gesch. d. R. L. p. 290. Westermann G. d.

R. B. p. 304. Quod si ad Corneliae epistolas applicuerimus, patebit, earum fidem minus suspectam fore, si apud antiquum historicum reperirentur, quam si ex novissimae antiquitatis opere prodirent.

His praelibatis ad eas epistolas progrediendum est, quae sub nomine Corneliae cum Aemilii Probi et Cornelii Nepotis reliquiis conjungi solent. Habes eas ad calcem scriptionis nostrae ex editione Rothii Basil. 1841 repetitas. De quibus vv. dd. secundum eam quisque sententiam, quam de moribus Corneliae rebusque gestis Gracchorum conceperissent, sententiam proposuisse, nullis plerumque argumentis exhibitis, non est quidem mirum, neque tamen quidquam ad quaestione nostram enodandam contulit. Qui primi has reliquias ex mss. protractas in lucem ediderunt, de fide atque auctoritate earum nulli dubitasse videntur, quales Savaro, Schottus in Pighi. Annal. T. 3. p. 44, Rutgersius Var. Lectt. V. 12. p. 490, Salmasius Exerc. Plin. T. I. p. 293, quorum judicium qui sequerentur, neque postea defuerunt, Fabricius ad Dion. Cass. T. I. p. 38. et in bibl. Lat. T. I. p. 110, Ellendtius Prol. Brut. p. 38, Schlosser. Univ. Uebers. T. 2. p. 2. p. 267. Quibus nuper accessit Gerlachius (Tod d. Scipio p. 43), eamque sententiam paulo amplificatam repetit in Stud. hist. p. 242 et in scriptione de Ti. et C. Gracchis p. 37 nullis aliorum dubitationibus de genuina epistolariam indole suam fidem concussam esse profitetur, neque aliter sentientem Klotzium deprehendimus in Annal. philol. Lips. XIV, 40. 4. p. 381. (a. 1844.) Ad horum virorum partes pertinent quoque Lindemannus ad Charis. I. l. et

Hartungus Rel. d. R. T. I. p. 44. Verum jam Schotto Not. in frgm. Nepotis p. 117. (cf. Bardili. T. 2. p. 372) oborta est fraudis suspicio, quam deinde repetiverunt Scheuius I. l. p. 196. Zumptius ad Quint. 1, 1, 6. (T. V. p. 10.) Meyer I. l. p. 111. ed. pr. p. 216 ed. sec. Bernhardy I. l. p. 88, qui laudato Cic. de or. 3, 12 rem confecisse sibi visus est, eumque secutus Hildebrandus I. l. p. 387., acriter is a Gerlachio in Stud. hist. p. 242 impugnatus. Gravissimi autem harum epistoliarum adversarii extiterunt Heerenius Verm. hist. Schr. T. 3. p. 91 et Langius. Silv. Portens. in Act. soc. philol. Lips. T. 2. f. 1. p. 177 — 181. repet. in Verm. Schr. p. 108 — 112. Rem in medio relinquendam censuerunt Schottus, Baehrius R. Lg. p. 275. Reiffius I. l. T. I. p. 80. Westermannus T. 2. p. 71. Bardili T. I. p. 106. T. 2. p. 373.

In historia litteraria harum epistoliarum persequenda ordiendum est a Jo. Savarone, qui primus eas edidit cum Aemilio Probo et Cornelii Nepotis fragmentis. Paris. 1602. ex codice ab Guiberto Mauguin, ecclesiae Claromontensis (Clermont-Ferrand) canonico et syndico accepto, inscriptas *Verba Corneliae Gracchorum matris ex Cornelii Nepotis libro excerpta*. cf. Roth. ed. Aem. Prob. p. 225. 236. 250. Bardili praef. p. 49. Non videtur is codex, quem etiamnum Montisferrandi asservari in bibliotheca civium Rothius p. 225 suspicatur, post Savaronem collatus esse, qui eum ceteris emendatiorem et integriorem habuit. Roth. p. 251. Sequitur Schotti. ed. fr. Corn. Nep. Francof. 1609. in quibus exemplum Verborum ex Epistola Corneliae ab Antonio Augustino Archiepiscopo Tarraco-

nensi anno circiter. 1585 acceptum typis exprimentum curavit, descriptum illud ex cod. Faesulanus, de quo v. Roth. p. 213. Idem easdem reliquias insertas T. 3. Annalium Rom. a Pighio edi coeptarum, hoc defuncto edidit Antwerp. 1615. praefixo titulo: *Epistolarum fragmenta duo, Corneliae P. F. Gracchorum matris ad C. Sempronium filium tribunatus plebis Candidatum ex Corn. Nepotis libro de Latinis historicis.* Roth. p. 236, qui tamen non recte scribit, tum edita non fuisse, quum Pighius a. 1604 diem obiisset. Rinck. Prol. ad Aem. Prob. p. 16. Roth. p. 236 censet eum ab Epistolarum fragmentis suis inventis corrumpendis non abstinuisse e codice si non Gifanianus fuit (de quo Roth. p. 232), certe optimo de scriptis. In Gifanii codice, quem saec. IX. non antiquorem judicat Rothius, Catonis vitam sequebantur *Verba ex ep̄la Corneliae Gracchorum matris ex libro Cornelii Nepotis de Latinis historicis excerpta.* Hujus l. ms. varias lectiones Gifanius cum Puteanis, hi vero cum Schotto et Savarone communicarunt. Roth. p. 234. Cum Gifaniano codice ex Corn. Nep. de Latinis historicis libro has epistolae repetunt cod. ms. Florentinus saec. XIII. (R. p. 212) ubi praescriptum est *Verba ex Epistola quadam Corneliae Gracchorum matris ex Libro Cornelii Nepotis de Latinis Historicis ad C. Gracchum filium,* quae ex editione Savaronis recens librarius descripsisse videtur Rothio. p. 175. Sed eundem fontem haud dubie, quamquam brevius, indicant alii libri, collocantes Corneliae fragmenta post vitas Attici et Catonis, quibus adscriptum est *ex libro C. N. de hist. Lat.* qualis Florentinus sive Faesulanus saec. XV., qui habet:

Verba ex Epistola Corneliae Gracchorum ex eodem (R. p. 213), Guelferbytanus saec. XII. (R. p. 219.) ubi legitur: Verba ex ep̄la Corneliae Gracchorum matris ex eodem libro Cornelii Nepotis excerpta, Ottobonianus 1455 saec. XV. exhibet Verba ex epistola Cornelie Gracchorum matris ex eodem Cornelio. (R. p. 215.) Ab his recedunt eatenus, ut titulum libri Corneliani omittant, Vossiani duo (R. p. 227. 228.), quorum A. Verba Corneliae Gracchorum matris ex Cornelii Nepotis libro excerpta, C. Corneliae Gracchorum matris ex Cornelii Nepotis libro excerpta, et Urbinas 436 (R. p. 216.) in quo est: ex epistola Cornelie matris Gracchorum ex eodem. Contra ex libro historiarum latinarum Cornelii nepotis reliquias derivare videatur Cod. collegii Romani saec. XIII. (R. p. 217), qui, inde repetita Catonis vita, exhibet: Pomponii Attici vita et mores. Verba Corneliae Gracchorum matris ex Cornelii Nepotis libro excerpta, Gaditanus saec. XV. (R. p. 218) in quo praecedit: Historiarum Latinarum Cornelii Nepotis Vita Attici, sequitur: Vita Catonis. Verba Corneliae Gracchorum Matris ex Cornelii Nepotis Libro. Eandem praescriptionem habent Monacensis saec. XV. (R. p. 229), Parisiensis 5826 (R. p. 224) et Mediolanensis XIV. (R. p. 210), in quibus tamen Corneliae fragmenta desunt. De Mediceo 30. v. infra. Discrepat rursus Harleianus saec. XV. (R. p. 229.) V. C. M. G. ex Cornelio Nepote et atiunde. Auctoris nomen desideratur in Alexandrino 768 saec. XV. (R. p. 216.) Verba Cornelie matris Gracchorum, Patavino saec. XV. (R. p. 209.) Epistola C. Gr. M. ad Filium, Mediceo 30. saec. XV. (R. p. 211) Epistola de morte Tiberii Grac-

chi auctore anonymo, Mediolanensi 2. qui verbose praescribit: *Ex fragmentis epistolarum Corneliae Scipionis Africani superioris filiae Ti. et C. Gracorum matris ad Caium filium.* Titulo non distinguuntur a Catone in Mediceo 25. saec. XV, cuius vitae pariter adhaerere yidentur non discreta Rothio p. 213 in Mediceo 57. saec. XV. — Quae titulorum varietas et inconstantia etsi harum epistolarum fidei non admodum favet, plurimi tamen et optimi codd. nexus quendam inter eas atque Cornelii Nepotis librum aliquem fuisse docent. Jure autem docti homines concequere non potuerunt, quomodo Cornelia locum habuerit inter historicos Latinos, Bardili T. I. p. 106. neque satisfaciunt, quibus eam quaestionem expedire conatur Rinckius p. 16: „Corneliam quidem, Gracchorum matrem, nusquam historicis adnumerari dicit Bardilius p. CVI. Ejus tamen eloquentiam in scriptis haud dubie declaratam laudavit Cicero.“ Rectius idem alteram inscriptionem historiarum Latinarum respuit p. 17, quippe codicum, qui minus ponderis habeant Guelpherbytano, insuper dubitans, possitne historia latina pro historia romana latine dici. Videtur enim potius iis libris credere, qui nullius auctoris nomen prae se ferunt p. 16., quamquam p. 22 Corneliae epistolas inter fragmenta librorum de vv. illustribus collocari jubet, quorum pars fuerit liber de historicis Latinis. Sed tamen recte jam Heerenius l. l. p. 92 censuit, inter duces Romanos apud Cornelium Nepotem Gracchis quoque locum fuisse, quem Plut. v. Ti. Gr. 21 ad ejus auctoritatem provocet. Et poterant iidem vel ob eloquentiam, aut Gaius saltem ob librum historici argumenti, cuius memi-

nit Plut. v. C. Gr. 8. inter historicos recenserit. Modo certius de hoc opere Corneliano constaret, quod nulli veterum scriptorum memoratum, tantum codicum auctoritate nisi observandum est. — Alterum, quod attendere opus, locus est, quem inter vitas superstites epistolae obtineant. Plerumque enim subjunctae leguntur Catoni, excepto codice coll. Rom., qui eas post vitam Attici habet, quem Cato praecesserat, additque post verba Corneliae: *Hi sunt quorum vita ab emylio probo descripta hoc codice continentur*, cod. Alexandrino saec. XV, (R. p. 216) et Ottoboniano 1455. saec. XV. (R. p. 215.), in quibus Catonis vita omnino deest. Adhaerent Catoui in iis adeo codd., qui perversum vitarum ordinem habent, ut in Mediceo 25. (R. p. 212.) in Vindobonensi Pal. 3155 (R. p. 222.) Chisiano 13 (R. p. 217), fortasse in Strozziano (R. p. 213) praeterea in Patavino (R. p. 209), qui Attici et Catonis vitas ceteris praeponit. Idem fit in Vossiano C. (R. p. 228.) In nonnullis mss. omnino desunt, ut in Florentino. (Rinck. p. 21) in Parisiensi (Roth. p. 224) aliis. Attici autem et Catonis vitas quum ad Cornelium Nepotem quam ad Aemilium Probum vv. dd. referre propensiores sint, his vero junctas videamus Corneliae epistolas, verisimilius erit, eas, si non ex opere quodam Corneliano, sed aliunde accesserint, jam pridem cum locum obtinuisse, quam ab recenti demum librario adjectas videri.

Quodsi externa harum reliquiarum historia non sat idonea argumenta genuinae fictaeve earum indolis suppeditat, tanto majori studio res et verba persequenda erunt. Quo munere ita defungemur, ut eorum, qui fidei aut defensores aut adver-

sarii extiterint, rationibus pensitatis, nostram sententiam subjungamus. Missis autem iis, qui sensu potius obscuro, quam argumentis rem dijudicare maluerunt, inter fidei epistolarum adversarios primus commemorandus Heerenius Verm. Schr. T. 3. p. 91. cujus verba Latine expressit Lange l. l. p. 108: „Haec fragmenta reperiuntur inter fragmenta Cornel. Nepotis p. 810 ed. Staveren., ubi Criticorum sententiae de *ἀδερφήις* eorum, quanquam nullis rationibus allatis, collectae leguntur. Mihi quidem dubia illa est. Nam primum non probabile est, Corneliam his de rebus ad filium scripsisse, cum ambo tum Romae essent, deinde ex Plutarcho II, 836 (≡ v. C. Gr. 4.) appareret, Corneliam Caui conatus, eo quo hic facit modo, non improbasse. Nihil agebat, nisi ut ferociam ejus leniret, ceterum curabat, ut ipsa gratia apud populum ne excideret, denique clausula secundi fragmenti satis clare declamatoris ingenium prodere videtur.“ Quae non admodum vera sunt. De commoratione enim Corneliae, quid sentiendum sit, diximus supra. Eam vero, quo tempore Gaius filius tribunatum petiturn erat, Romae fuisse, Heerenius non ivit demonstratum, neque id ullo modo probari posse crediderim. Altera, quam affert, ratio non magis valet. Filiorum conatus, praesertim Gaii matrem improbasse facilis evincitur, quam quod nullo exemplo munitum Heerenius censuit, ferociae tantum ejus leniendae causa ipsi adversatam esse. Deinde nihil est, quod Corneliam auram popularem captasse arguat, imo Plutarchus v. C. Gr. 4. ὁ δῆμος ἡγάσθη καὶ συνεχώρησε τιμῶν τὴν Κορνηλίαν οὐδὲν ἦτορ ἀπὸ τῶν παιδῶν ἡ τοῦ πατρός. Tertium denique argumentum, a rhetorico fragmentorum

colore petitum, non est quidem per se absonum et magnopere iis probabitur, qui propter Ciceronis de or. III, 12, 45 verba: „Equidem cum audio socrum meam Laeliam (facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem conservant, quod multorum sermonis expertes ea tenent semper, quae prima didicerunt), sed eam sic audio, ut Plautum mihi aut Naevium videar audire.“ — (Bhdy. p. 88.) in Corneliae epistolis simplicem et non fucatum sermonem requirant; Ciceronis tamen sententia ad Corneliam minus pertineat, quae et multorum hominum consuetudine et Graecarum haud dubie literarum notitia a vulgari mulierum eruditione descuerat. (v. Gerl. hist. Stud. p. 242, ann. 2.) Sed multo acerius has reliquias exagitavit A. G. Langius l. l., qui non solum spurias esse aperte proclamavit, verum argumentis quoque probare studuit. Quae jam dispicienda sunt. Primum vero quod de externa fragmentorum auctoritate parum certa conqueritur, ea quomodo se habeat, supra quantum licuit exposuimus, quanquam ita res ad finem non perducitur. Inuria tamen mihi conjectisse videtur „si alicubi in antiquis libris legantur, tantum ob nominum Cornelii et Corneliae similitudinem ista et Cornelio et Cornelia aequi indignea in aliquot Nepotis codices irrepsisse,“ cui sententiae et plenior harum epistolarum praescriptio et is nexus adversatur, qui ex testimonio Plutarchi de rebus Gracchorum a Cornelio Nepote narratis accedit. Deinde neque moribus neque ingenio generosissimae feminae convenire censem p. 120. laudatis Plut. ex v. C. Gr. 13. 19. verbis, quae supra attulimus, unde tamen nequaquam efficitur, Corneliam a consilio C. Graechi non fuisse alien-

nam, quod vel Hildebrandus. p. 388. non minus Corneliae et ejus reliquis infensus, concessit. Indignam Corneliae animo censem sententiam „nihil esse neque majus, neque pulchrius cuiquam, quam inimicos ulcisci,“ indignum quod filium increpat, ne conatibus suis perturbet sibi reliquam vitae partem in tranquillitate degendam, indignum, si eidem permittit, quocunque libuerit, vel adversus rempublicam facere, modo se mortua et nihil sentiente. In quibus illud de ultione dictum non est fidei Christianae modulo metiendum, multoque verius et fortasse aequius judicaremus, si ethicae Romanae, non ex philosophorum scriptis derivata, verum vitae quotidiana exemplis illustrata linea-menta teneremus. Antiquos autem homines de ulciscendi jure aliter atque nos sensisse, quis est qui dubitaverit? Quod vel Martis Ultoris templum ab Augusto aedificatum et Ultionis ara (Tac. An. 3, 18) testabuntur. Neque ab ea animi perturbatione omnes politioris vitae homines alienos fuisse Cornelius Nepos significat, qui de Attico scribit c. 11. „neque, si quam injuriam acceperat, malebat ulcisci, quam oblivisci.“ Quid, quod Val. Max. 9, 10. hoc ausus est: „Ultionis autem, quem admodum acres ita justi aculei sunt: qui lacesitti concitantur, acceptum dolorem pensare cupientes.“ Quod si nostro loco inimici iidem sunt, qui ineunte altero fragmento Tiberium Gracchum necasse dicuntur, nonne Gaius frater, quem ex orationum reliquiis eosdem acerrime increpasse constat (Meyer. p. 228.), quodam talionis jure ad ultionem duci videbatur, a qua tamen mater, ejusdem sensus plena, eum revocavit? Quae dum reipublicae causa suam ipsa ultionem cohibet, nonne maxi-

mis civibus accensenda est, quos Romana antiquitas tulit? Ita fere locutus esset, qui quovis pretio has reliquias Corneliae vindicare studeret, idque non male, nisi obstarent alia. Verum idem, epistolis quidem servatis, multo gravius damnum contraxerit. Mores enim Corneliae, si caedis suspicione vacant, neque ulciscendi cupidinem ferunt. Quae praeterea Langium offendunt, sunt quidem minoris momenti, sed cum dignitate parum conjungenda et inter tria illa dicta extremum ita comparatum est, ut primo aduersetur. Sed in singulis quoque Langius suspicionem motam diligenter persequitur, quem doleo pntidum hahuisse omnia quae non modo in orationis elegantiam, sed etiam in communem sensum peccata sint, enumerare. Subsistens in alterius fragmenti initio, haec criminatur: „Quis quaeso in tali re exspectet conceptorum verborum solennitatem, quis juris jurandi religiō-nem? Ridicula profecto mater, cui erga filium ad indignationem comprobandam jure jurando opus est.“ Ignoramus quidem, quem in epistolis scribendis morem ejus saeculi homines secuti sint, in quotidiano autem sermone asseverandi et obsecrandi formulis non pepercisse Plautinae maxime fabulae docent. Cujus consuetudinis ipsam Corneliam in altera epistola extrema non habemus expertem (Ne ille sirit Juppiter), quae, si cum filio praesenti egisset, sategisset fortasse una vocula, ad absentem conversam paulo graviora verba decebant. In sequentibus rursus Langius haeret: „Quaenam sunt istae res, quas vase com-memorat?“ Eae illustrantur infra locutione: *rerum majorum quicquam.* Et poterat mater, ce-terum non admodum breviloquentiae studiess,

ita dicere, si memineris, in deperdita epistolae parte fortasse praecessisse, quae nunc obscurius significantur. Nisi idem fieret saepius. 1. *ea persequi*. 2. *modus ei rei. ea perseverare*. Missis quae postea in censum venient, Langius subjicit: „Hactenus misellum declamatorem tenemus tanquam reum convictum, habebimus confessum, si quae fraudis adhuc parum cautus manifesta indicia effudit, verbo tetigerimus. Vehementer enim personatae suae Corneliae oblitus est, dum eam scribentem facit: *qui Ti. Gracchum necarunt.*“ Idque tanto verius v. d. scribit, quod C. Gracchus ap. Char. p. 214. P. ita dixit: „Pessimi fratrem meum optimum interfecerunt,“ et apud Schol. Bob. p. 365. Or.: „cum genere summo ortus essem et cum fratrem propter vos amissem, nec quisquam de P. Africani et Ti. Gracchi familia nisi ego et puer restaremus.“ Quodsi is publice locutus, fratris appellatione supersedere potuit, nam Ti. Gracchi nomen patrem significat, videtur Cornelia modum excessisse, filium plenius Ti. Gracchum nunquans, quae appellatio inter familiares ad patrem designandum reservata fuerit. Sic Cicero in epistolis, quae sunt ad Terentiam et Atticum filium semper Ciceronem aut Marcum, nunquam M. Ciceronem dixit. Schottus quidem ap. Pighi. I. I. non Ti. Gracchum, sed Ti. filium exhibit, quam lectionem non codicibus debere videtur, quorum nunc nullus eam confirmat. Pergit Langius: „Et cujus notae ista sunt: quando desinet familia nostra insanire? quaenam familia? Num Tiberius familia est? Legerat nimirum, Gracchos insaniisse, sed immemor nunc erat temerarius scriptor, alterum fratrum nunc primum petens tribunatum.“

Quae majorem speciem quam veritatem habent. Nam ita loqui matrem quid vetat, quae praevidebat Gaium quanquam nullas dum leges proposuerat, Tiberij fratri consilia continuaturum esse, praesertim quum praeter eum et puerum nemo de Ti. Gracchi familia superaret. Necessario autem haec epistola ad Gaium prioris tribunatus candidatum pertinet, nam a petendo altero tribunatu matrem eum epistolis missis dehortatam esse parum verisimile est propter verba Plut. v. C. Gr. 8. *Γάϊος δὲ δύμαρχος ἀπεδείχθη τὸ δεύτερον, οὐ παραγγέλλων, οὐδὲ μετιὰν ἀλλὰ τοῦ δήμου σπουδάσαντος.* Quamobrem non multum tribuerim conjecturae a Langio propositae p. 412, cui verba Plut. v. C. Gr. 13 *ἔτεροι δὲ καὶ παντὸς τῆς Κορηνίας δυνατούσης ταῦτα πράττεσθαι λέγοντιν* videntur fingendae hujus epistolae opportunitatē scholastico cuidam homini otio male abutenti dedisse. Plutarchus quippe locus ad alterum Gaii tribunatum pertineat, quo commota si ad epistolam fingendam Cornelia personata se composuisse, magis atque nunc fit, temporum conditionem respexisset. Nunc vero epistolam ita comparatam habemus, ut ad alterum quoque tribunatum et fortasse melius referretur, unde tamen Plutarchi testimonium eam arcet. Quam quidem ambiguitatem fidem ejus labefacere, nemo non videt. Restant quedam a Langio reprehensa. Haeret in dictione: *molestiam alicui aut labore tradere*. Inaudita profecto et male Latina, neque Siliano 4, 52. *metus tradunt defendenda*. Graecissimum olet μεταδιδόντες πόνουν. Eurip. Or. 275, condonandum fortasse Corneliae graecissant. Sed alia iusunt, non minus insolita. Sic *perpudescet* est singularē, *partes tolerare pro in locum alicujus*

succedere aegre repereris. Nonne haec antiquitatis potius certissima documenta, quam praeterea redoleat usus particulae *quatinus*. cf. Fest. p. 258. M. verbum *prostigandi* Gell. 15, 5. *dejerandi*. Non. p. 105. vocabulum *pausae*. Non. p. 158. proba omnia et antiqua. Antiquae religionis sunt: *parentabis mihi et invocabis deum parentem*, quo loco Hartungum sine ulla suspicione usum vidi-
mus, quem tamen audacius Lindemannus propter Charisianum commentum correctum voluit: *et invocabis tuam parentem*. De divinis manium hono-
ribus cf. Hertzberg. de diis Rom. patriis. p. 5. sq. Schoemann. de diis manib. larib. et gen. p. 11., quorum tamen uterque nostro loco caute abstinuit.

Summo denique jure Langias notavit intolera-
bilem battologiam verborum „Denique quae *pausa* erit? ecquando *desinet* familia nostra insanire? ecquando *modus ei rei haberi poterit?* ecquando *desinemus et habentes et praebentes molestiis desistere?*“ Nonne talia Corneliae jam senescenti propria? dixerit fortasse quispiam defensorum. Nonne quod intra paucos versus eadem se locutio-
nes excipiunt (1. res. p. *profligetur atque pereat.* 2. rem. p. *profliges. perpudescet — non pudet te.* maxime mihi placere — tute tibi placere. ea per-
severare. Et si perseveras. in senecta haberem — cui parva pars vitae superest — Ne id quidem tam breve spatium. ubi ego mortua ero — Ubi mortua ero.) simplicitatis totidem et antiquitatis documenta sunt, necessariam fortasse scribentis festinationem et modo scripta parum recordantis contestantia? Talia profecto in utramque partem trahi possunt, sed tamen studio magis et consilio, quam forti deberi videntur.

Contra ad epistolarum fidem tutandam ab uno Gerlachio hist. Stud. p. 242 pauca eaque leviden-
sia argumenta allata video. Si modo argumenta dicenda sunt, quibus ille, Hildebrandum frustra pungens, quod is dixisset, temere a se epistolas genuinas habitas, superciliosè rem absolvisse sibi videtur. Utinam v. d., lecta Langii diatribe, quam ignorare videtur, mortiferos ejus ictus fortiore brachio propulsasset. Cui enim haec tria ejus monita sufficient? Primum epistolarum dictionem antiquam esse et singulis adeo in C. Gracchi fragmentis obviis non dissimilem. Exempla nulla. Contra non levem aliquam discrepantium supra demonstravimus. Deinde poscit, ut perspicue dis-
crimen inter Terentianum sermonem et Corneliae stilum epistolarem exponatur. Quorsum hoc? et quasi utriusque similitudo ita confessa esset, ut rursus nullis exemplis res indigeret. Quae si vel ex parte constaret, ne faveret quidem epistolarum auctoritai, sed ad Aemilium Probum potius quam ad Corneliam nos transduceret, quam Terentianas formas usurpasse Rinckius l. l. p. 36. docuit. Denique Rothium amicum in critica Corn. Nepotis editione de genuina harum epistolarum auctoritate non dubitasse. Quid plura?

Omnia autem ubi mente comprehendimus, non possumus, quin Langio plurima favere confiteamur. Ut enim ab externa reliquiarum conditione ordiamur, ea cum difficillima de Cornelii Nepotis et Aemilii Probi libris quaestione ita conjuncta est, ut nisi haec firmiore tibicine steterit, judi-
cium suspendendum sit. Deinde si cogitationes atque res contemplamur, non conspirant cum ea, quam nobis de moribus Corneliae informavimus

opinione. Quae licet falsa vit, tamen propterea illae non statim veriores erunt. Epistolae si genuinae essent, non dubito, quin insigne notitiae nostrae de rebus Gracchanis incrementum accepissemus, quod, quales nunc sunt, habemus nullum. Ad eas concinnandas Plutarchi vitae Gracchorum sufficiebant. Et tamen vel his solum consultis, poterant fallaciores conscribi. Nunc quaedam consulto ambigua atque incerta sunt, male adhibitae cautionis testimonia. Verba denique antiquitatis quidem speciem prae se ferunt, sed quis nescit, quo obsoletiora fuerint, eo saepius apud infimae antiquitatis testes data opera reviviscere? Itaque verisimile est, epistolas illas a Corneliae stilo non esse profectas, idque tanto majorem speciem veritatis habebit, quo magis irrita eorum opera videri possit, qui contrariae opinioni favent. Quod si nostra disputatio auxisse potius inconstantiam et ambiguitatem nutantis quaestionis arguimus, tamen vel hoc in Incro deputandum erit, modo docti homines, nisi quis ab alterutra parte certiora protulerit, sine fra saltem atque studio in his reliquiis utendis versari velint.

CORNELIAE epistolarum reliquae.

4. Dices pulchrum esse, inimicos ulcisci. Id neque maius neque pulchrius cuiquam atque mihi esse videtur, sed si liceat re. p. salva ea perseQUI. Sed quatinus id fieri non potest, multo tempore multisque partibus inimici nostri non peribunt

atque, uti nunc sunt, erunt, potius quam res. p. profligetur atque pereat.

Eadem alio loco.

2. Verbis conceptis dejerare ausim, praeterquam qui Tiberium Graccum necarunt, neminem inimicum tantum molestiae tantumque laboris, quantum te ob has res, mihi tradidisse: quem oportebat omnium eorum, quos antehac habui liberos, partis eorum tolerare atque curare, ut quam minimum sollicitudinis in senecta haberem, utique, quaecunque ageres, ea velles maxime mihi placere, atque uti nefas haberem rerum majorum adversum meam sententiam quicquam facere, praesertim mihi, cui parva pars vitae superest. Ne id quidem tam breve spatiū potest opitulari, quin et mihi adversere et rem. p. profliges? Denique quae pausa erit? ecquando desinet familia nostra insanire? ecquando modus rei haberi poterit? ecquando desinemus et habentes et praebentes molestiis desistere? ecquando perpudescet miscenda atque perturbanda re. p.? Sed si omnino id fieri non potest, ubi ego mortua ero, petitō tribunatum; per me facito, quod lubabit, cum ego non sentiam. Ubi mortua ero, parentabis mihi et invocabis deum parentem. In eo tempore non pudet te, eorum deum preces expetere, quos vivos atque praesentes relictos atque desertos habueris. Ne ille sirit Juppiter te ea perseverare, nec tibi tantam dementiam venire in animum! Et si perseveras, vereor ne in omnem vitam tantum laboris culpa tua recipias, uti in nullo tempore tute tibi placere possis.

C O R R I G E N D A.

- p. 4. l. 16. distingue post: *vacent*
p. 5. l. 27. lege *ιστοροῦσι*
p. 7. l. 9. l. *τοὺς*
p. 8. l. 27. post *ἡλικίαν* disting.
p. 9. l. 24. l. Bürgerkr.
p. 14. l. 8. l. pluri-
p. 16. l. 6. post Plutarchus dele punctum
p. 16. l. 7. l. *τοὺς*
p. 16. l. 14. l. Ptolemaeum
p. 20. l. 5. post fortasse dele comma
p. 26. l. 1. l. tantopere
p. 26. l. 5. l. missis
p. 26. l. 20. post Gerlachius dele punctum.
-